

*Achæi.* quadriennio absoluto recurrentes. Sed & hic dominatus tandem in libertatem quoq; desiit.

Quæ Elidem secuta est regio secundum mare Ionum sinumque Corinthiacum longo tra-  
ctu porrecta , antiquissimo ævo Ægialea sive à littore , sive à rege suo Ægialeo nuncupata , deinde ab Ionibus ex Attica quondam profectis Ionia appellata , demum ab Achæis , Ionum cognatis , per Heraclidas & reliquos Dores in Peloponnesum revertentes Laconia pulsis , Achaia dicta , diu quoque regum suorum imperio pa-  
ruit. De cuius rebus scripsit prolixius Vbbo Emmius in explicatione reipubl. Achæorum , quæ posterioribus temporibus fuit clarissima. Quo lectorem cognitionis hujus avidum remitto.

*Spartani.* Sed omnes Peloponnesi civitates non tam antiquitate quam rerum gestarum magnitudine , & institutorum morumque præstantia La-  
cedæmon superavit. In ea reges Dorici generis ante Heraclidas dominati sunt decem numero , sibi mutuo succedentes : quorum ultimus Tisamenus Orestis filius , Agamemnonis , cuius auspi-  
ciis bellum contra Trojanos gestum fuit , ne-  
pos. Hoc regnante Heraclidæ quondam Peloponneso ab Eurystheo Herculis persecutore ejecti in Peloponnesum redierunt annis LXXX post Trojæ excidium , cccxxvii ante Olympiadum Iphitearum initium. Cætera , quæ hoc pertinente , exponuntur in Emmii libello de re-  
publica Lacedæmoniorum.

*Ætolis.* Ætolorum etiam , qui extra Peloponnesum in ora maris opposita sedes habuere , res fuere pervetustæ , jam ante Troica tempora valde celebres. Apud eos regnum diu tenuit Oeneus , duobus filiis ac filia ex se genitis inclytus. Filio-  
rum major ex Althæa uxore fuit Meleager , qui aprum Calidonium peremit , non minus famo-  
sum , quam leo ille Cleonæus ab Hercule inter-  
emptus. Cujus Meleagri germana soror fuit Deianira , Herculis uxor , Hylli mater , ex quo prognati sunt , qui apud Lacones per multa sæ-  
cula regnarunt. Minor Oenei filius ex alia ma-  
tre Ætolici generis natus Tydeus heros incly-  
tus , poëtis decantatus. Qui accepta uxore Dei-  
phile , Adrasti potentissimi regis Argivorum fi-  
lia , cum Polynice gloris suæ marito (duxerat enim Polynices alteram Adrasti filiam Argiam) Oedipi filio ad bellum Thebanum profectus reliquos omnes belli illius duces fortitudine di-  
citur superasse , ibique pugnando in conferta hostium strage mortem oppetiisse. Ex hoc na-  
tus Diomedes terum in Ætolia potitus est , cum ob raptum Helenæ bellum à principibus Græ-  
corum contra Trojanos est suscepsum. Cujus expeditionis ipse socius , & Vlyssi Ithacensi virorum callidissimo conjunctissimus , multa for-  
titer patravit , & ingentem gloriam ibi meruit. Domum vero reversus non solum apud Ætolos suos clarus & potens fuit , sed in Argolide quo-

*Græcia.*

que , ex qua non minus quam ex Ætolia copias ad Trojam duxerat , hæres quippe ex parte opum Adrasti avi sui multa possedit , atque adeo colonias in Italia etiam condidit , & longe late-  
que in mari Adriatico dominatum sibi consti-  
tuit. Sed cum morte ejus , gloria familiæ istius concidit. Matûre vero post regium imperium Ætolis in libertatem se afferuerunt , eique inhæ-  
serunt constantissime. Sed certum tempus af-  
sertæ libertatis edere non licet tacentibus acto-  
rum monumentis. Hoc vero de Ætolis his di-  
cerelicet , si tantum sapientiæ habuissent , quan-  
tum habuere ferociæ & virium corporis , haud facile quis libertatem iis adimere potuisset. Re-  
liqua gentis hujus validissimæ , in republica ejus explicat Vbbo Emmius ; addens ibidem de Acarnanibus ei in ora eadem finitimus , in Epirum usque extensis.

Locrorum , qui ab altero latere Ætolos quo-  
*Locri.* que attingunt , prisca ævo obscurior fama & vi-  
res minores fuerunt. Ajacem tamen Oileo geni-  
tum , & Opuntium Locrorum regem compara-  
ta non parva classe cum Agamemnone ad Tro-  
jam profectum esse , & Locros istuc duxisse ;  
non Homerus solum , sed etiam Dictys Creten-  
sis & Dares Phrigius scriptores antiquissimi prodiderunt. Ut de Patroclo taceam summo Achillis amico , heroë clarissimo , ab Hectore pugna interfecto , quem iidem omnes scriptis suis celebrant , Strabo autem ex Homero ex ea-  
dem gente , eademque urbe ortum duxisse af-  
firmat. Maximè vero Locrorum nomen illu-  
stravit colonia in ora Italæ constituta , quæ o-  
pibus & populi frequentia nulli civitatum ma-  
gnarum in eadem illâ ora quondam cessit : cu-  
jus principium , si vera sunt quæ libro III de ea  
recitat Pausanias , Ephorum , uti existimo , secu-  
tus , bello Trojano antiquius fuisse statuendum.

De Phocide porro quid dicam , regione Græ-  
ciæ celeberrima , Locridis , Doridis , Bœotia ,  
Thessaliæ finibus clausa , finique Corinthiaco austrino latere adsita ? Cujus antiquissimas res  
tribunal Amphictyonicum toti Græciæ quon-  
dam commune , & oraculum Delphicum fama inclytum , & Græcis exterisque summo in ho-  
nore habitum , quibus ipsa sedem præbuit , ab-  
unde arguunt. Nam & oraculum & tribunal  
Trojano bello aliquot sæculis vetustius fuisse sa-  
tis constat.

Thessalorum autem natio quemadmodum *Theffal.*  
inter omnes Græcas maxima olim & potentis-  
sima fuit in varios populos distincta , ita de summa antiquitate dubitationem non admittit.  
Cognoscitur ea ex nationis hujus rege clarissimo Deucalione , sub quo diluvium ingens toti regioni quam maxime calamitosum acci-  
dit. Accidisse id autem regnante apud Athe-  
nienses Cecrope primo , annis ante Trojam ex-  
cisam CCCXLIX , chronologæ rationes ostendunt. Quo tempore Ελάδος & Ελλάων , hoc est